

I. N. J.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

De,

VENENIS,

*Quam*

DIVINO AUSPICIO!

*Et*

Consentiente Ampliss. Facult. Philosoph.  
in industri ad Auram Acad.

SUB PRÆSIDIO

Viri Celeberrimi

TORSTANI RUDEEN,

Poët. Prof. Ordinarii, Facult. Phil.  
h. t. Decani Spectabilis.

*Publico Specimine*

Sobriæ Philosophantium *rejœctæ*  
placide sistit

PETRUS ARLING,

Medelp. Svecus.

Ad d. 17 Aprilis, Anni 1697 horis in Audi-  
torio majori solennibus.

A B O Æ,

---

Impr. apud Jo. LAURENTII WALLIUM.

Reverendissimo in CHRISTO

Patri ac Domino,

**DN. JULIO MI-**

**C R A N D R O,**

S. S. Theologiæ DOCTORI

Celeberrimo,

Eccles. per Occidentales Norlandias

**SUPERINTENDENTI**

Eminentissimo,

Consistorii Hernosandensis PRÆSULI

Gravisimo,

Gymnasii item EPHORO

Adcuratisimo,

Mœcenati Maximo.

UT ET

*Pl. Reverendo & Clarissimo*

**DN. M. ERICO BOZÆO,**

Pastori in Selånger meritissimo, & ad-

jacentis Districtus Præposito gravil-

simo, Promotori optimo.

**P**abore tuo Præsul Reverendissime  
me in bonas literas earumq; sectato-  
res vere glorijs ofretus, Studiorum  
hasce primitias Reverendiss.  
Tuæ Dignitati, in perpetuæ devotionis & ob-  
servantie documentum, cultus & honoris mo-  
numentum offero, humilimis simul adjunctis  
precibus, digneris easdem serena respicere fron-  
te auctoremque earum favore ac patrocinio  
tuo in posterum amplecti. Ego interim, dum  
sub hoc cœlo & sole spirare propitia mihi con-  
cesserint fata pro Reverend: Tuæ Digni-  
tatis perenni Salute atq;e incolmitate cali-  
dissima fundere vota non cessabo. Vive itaq;e  
diutissime Ecclesiæ Decus! Vive sacratissimæ  
virtutis exemplum! vive Patriæ nostræ Gem-  
ma, & fulgidum orbis arctoi sidus! Vive in-  
qvam ad arbitrium diu felix! Sic vdeo, sic  
opto, & hic & ubiunque vivus fuero. Tibi etiam  
Pl. Rev. Dn. Præposite hanc opellam submissè  
consecro, qui ad extremum usque vite halitum  
pro salute tua Deum T.O. M. precibus fatigabo.

TUÆ REVERENDISS: DIGNITATIS.

nec non

PL. REVEREND. DN. PRÆPOSITI  
Sciens infimus  
P. A.

Consultissimo multarumq; rerum experientia  
Prudentissimo Viro,

DN. JOHANNI  
STAKLJNG/

Inclytæ civitatis Uptaliensis CONSULI Justitiario spectatissimo Promotori ac Benefactori suo omni officiorum genere æternum devenerando.

Emper ingenui existimavi animi, ut, cui qvis satisfacere & luerre nequit se tamen Plurimum debere agnoscat. CONSULTISSEME VIR, cum ego tua in me merita considero atque recordor, non possum non Spectabilis tuæ Dignitatis debitorem me profiteri maximum. Ea proin qva par est animi submissione rogo, ut chartaceum hoc munusculum, qvod in grati animi

nimi & debitæ observantiæ pignus, cum  
alia donaria, & virtutibus tuis paria, &  
meritis debita, cum fortuna mihi ini-  
qvior, tum æqvo parcior ingenii vena-  
denergarit, ad pedes tuos depono, gra-  
ta mente accipias, & me promotione  
tua dignum æstimes ulteriori. Meum  
erit supremum Numen pro tua, **CONS-  
ULTISSIME VIR**, Salute piis votis, cali-  
disque suspiriis semper venerari, qui  
sum maneoque

SPECTATISSIMI CONSULIS

*Humilimus estimator*

PETRUS ARLING.

Reverendo atque Doctissimo

**DN. O L A O K JÖNNG/**  
Ecclesiæ quæ in Attmar est Sacellano  
dignissimo, benefactori ut propen-  
sissimo, ita omni honore sem-  
per adficiendo.

*Pl. Reverend. atque Clarissimo,*

**DN. M. PETRO KJÖNNG/**  
Pastori in Tima vigilantissimo, Promo-  
tori suo certissimo, pia mente  
ætatem colendo.

*Venerabili atque Doctissimo*

**DN. GEORGIO KJÖNNG/**  
Verbi Divini in Attmar comministro  
perindustrio, Fautori  
optimo.

*Has studiorum primitias in perpetuae vene-  
rationis, observantiæ gratique ob in-  
numera beneficia animi signum,  
cum calidisimo voto pro perpetua  
eorum incolumentate.*

*D. D. D.*

*P. A.*

Peregrinie & Præstantissime Domine

# PETRE ARLING,

*Amice jam diu dilecte*



ui vel paulo adcuriori mentis in-  
dagine Argumentum de VENENO in  
Regno præprimis Animali perpen-  
dere voluerit, nulli facile illud vel  
subtilitate, vel utilitate in foro Philosophico ce-  
dere videbit. Nam (ut nihil heic de utilitate di-  
cam) præter incomprehensibilem fere vim e-  
jus *elasticum*, qvâ i&tu quasi oculi omnia per-  
vadit: ut & obscurum agendi enecandique mo-  
dum, sanguinem scilicet vel more acidorum  
coagulando, vel acerri mi instar alcali, eundem  
dissolvendo, subtilitatem difficultatemqve maxi-  
mopere adauget insigne illud sententiarum di-  
votium, in quod celeberrima omnis ævi ingenia  
circa exactiorem *Natura Veneni* hujus contem-  
plationem lapsa sunt: Qvatenus adhuc non a-  
deò inter se convenient, num malignitas hæcce  
præcise & sigillatim in hoc vel illo humore, vel  
in irritatis tantum spiritibus, & indè accepta  
humoriqve impressa animalis idea seu caracte-  
re consistat? Qvarum priorem præter maximam  
partem Scholasticorum, acriter defendit Cele-  
berrimus Redi, cumque illo Expertissimus Lem-  
mery; posteriorem verò subtilissimus per i-  
gnem Philosophus van Helmont & Poterius,  
qvibus calicum etiam addidere magni nomi-

nis Zvelferus, Hildanus, Charas plurimique  
recentiorum alii. Hanc vero litem jam dirime-  
re nostrum non est, nulli dubitantes Te, per-  
eximie Domine, non tantum illam, sed & a-  
lia, quæ tam elegantem materiam tangunt, pro  
elegantibus studiis tuis, solidè & eleganter ex-  
plicuisse. Ut itaque felix ingenium Tuum, ju-  
cundos mores, inculpatamque vitam semper  
æstimavi, ita jam felices in Literis progressus,  
illustreque hoc diligentiae specimen Tibi ex a-  
nimo gratulor, intimè simul vovens, post fe-  
liciter peractos labores Academicos Te apud  
Tuos uberrima maneat laborum præmia!  
Vale! Scribeb, occupatiss.

Tibi optimè cupiens  
LAURENT. BRAUN  
Acad. h. t. Rector.

---

In Disputationem  
De VENENO

Pereximii atq[ue] Literatissimi Juvenis  
DN. PETRI ARLINGZ,  
Amici egregiè dilecti.

Rem notam priscis, subita mox nocte sepultam,  
Nunc iterum claro vis decorare die.  
Conatus pulcri: Fateor. sed, amice, caveto,  
Ne tua sint animis scripta Venena nigris.

Epigramma subitum dedit  
T: RUDÆEN.



## PRODROMUS.

**P**a est almæ matris, naturæ conspecie-  
tudo atque lex quasi connata, ut  
per minima initia gradu successivo  
magnos moliatur atque pro-  
ducat effectus. Nascitur ex tan-  
tillo semenis apice ingens arbor, annosa quer-  
cus lata expandens brachia & producta que-  
vis ex triplici naturæ regno altitudine facile  
transcendens. Oritur ex cicatricula, Mili  
semine minori, gallus animal magnanime &  
superbum, & ex tantillo Spiritu genitali hu-  
jus una vice omnia, vel centena si effene  
gallinæ ovula fœcundantur. Ex punto pro-  
dit homo magni hujus mundi non minoris  
momenti imago atque microcosmus. Ita ut ex-  
inde Scaligeri illud, dari inter minima ma-  
xima, & quod Herodotus habet æternum Nu-  
men in minimis initii maximum adparere vo-  
luisse, oppido pateat. Tacitus hecce, ac in-  
primis parvum mirandæ humanæ Machinae  
exortum, mecum agitanti deprehendi quem-

A

admo-

admodum ea à parvis suscitatur primordiis,  
 ita exigua non minus initia destructionem  
 eus moliri, & vel ex tantillo primum cau-  
 se morbificæ errato, maximos ei adcrescere  
 morbos. Nolo ire ambages. Ad manum est  
 quod Sat est. Nimirum Venena, quorum le-  
 zhifera plane vis atque ἐργητικὴ omnis avi  
 Philosophos in admirationem sui rapuit at-  
 que indaginem. Ast, ut in alto latet veritas,  
 nec eadem, quā sara est prodit luce, ita nul-  
 lum tam prope ad ejus bac in re accessisse  
 videtur ceterum, quam seculum præsens tot  
 eruditis atque eximis viris experimentis  
 que innumeris præ ceteris locupletatum; ete-  
 nim novimus, quid alij, quorum nomina in  
 pace, auctoritas in salvo maneat, hac de re  
 judicarint. Sed agenda quoque illis gratia,  
 qui tantum quantum licuit investigavere.  
 Multa etiam post nos serus edocebit vesper  
 quæ cognoscere haud potuit aurora. In hæc  
 nonnihil inquirere, cum haud parvæ videa-  
 tur utilitatis, Speciminis galiscunque gra-  
 tia pro ingenii modulo de his agere constitui.  
 tu vero.

Juste Jehova DEUS, solus justissime Judex.  
 Adspira cæptis, flamine quæso tuo!  
 Nam sine te nullus, potis est placidum meditari;  
 Et sine te nullus, qui bene finit opus,

## §. I.

Mille hominum sensus, capitum discrimina mille.

**E**loqvar an sileam inter, tot doctissimorum virorum sententiarum divertia? Venena hominem lædere audio, eadem ab aliis animalibus absqve noxa comedie etiam comperio. Nunc ergo inter sacrum & saxum sto, nec qvid agam scio. forte nullum ideo Venenum datur? Fateor sane & certe profiteor hanc perplurimos inhalationem facere posse; qvippe facilis est ad errorrem via. Ut tamen aurum à scoria verumqve à falso liberem, hic protinus in ipso dissertationis limine hanc removere dubitationem animo sedet. Duo præprimis sunt hominum genera, eunt ad veritatem qvidam sine aliena ope. Ipsi sibi faciunt viam absqve antecessoris adjutorio. Aliis ex se impetus talis non est, non ituri si nullus antecesserit sed bene secuturi. Laudandi isti maximè, at non contemnendi hi quidem. Præclara res est veritatem scrutari, sive ipse sis auctor & princeps, sive boni ducis bonus comes. Me non pudet Sperlingii quem præeuntem seqvor contentus sorte secunda, quamquam subducam collum jugo servili:

qvod non licet modo: sed & decet. Ab homine, inquit cap: 6. de insectis: in addit: ad zoolog. cap: 2. sumptum araneæ Venenum, seu cum potu, seu cum cibo, miserè adficit & adfligit corpus. Agallinis vero aliisque avibus, sine periculo araneæ comeduntur. Sic non omnibus Venenum est, quod alicui est. Hæc vir acutus. Datur ergo Venenum. Ast vix in se & absolute tale sed potius respectivè ad corpus, quod in minutissima sui quantitate insigniter laedit, ita vocatur. Sic herbae multæ noxiæ nobis veluti napellus aut cicuta, non item brutis. Porcis excrementa foetidissima flavissimo sunt pabulo. Vermibus nocivis aviculæ vescuntur non paucæ. Nos aviculis utimur incolumes. Nec omni, pestis, qvod est alicui. Catervatim sèpe moriuntur homines, illæsis bestiis. & mox bruta, hominibus indemnibus. Et qvæ aliæ sunt circumstantiæ absolutam Venenorum potentiam infringentes.

S. II. Proin respectivè ad corpus qvod laedunt, venena consideraturus, arbitror operæ pretium esse ut præprimis ipsam ὀνοματελογίαν explicem; quippe nihil disci potest utiliter, nisi cognito prius eo, sine quo nihil discitur. Necessaria est cognitio rerum propter se, nominum vero propter res. Hæc ante-

antecedit, illa sequatur. Dicitur ergo Venenum quod venas petat, sive quod per venas vadat. Isid: l. XII. cap. IV. infusa n: per venas ejus pestis, vegetatione aucta discurrat, animamque extingvit. Quod etymon Camerarius quoque lib: de Divinat: p: CVIII. asserit. Verum non minus placet, ut quemadmodum Τέξιον dixerit à Τέξον, ita & Venenum dicatur quasi helenum à Βέλεμνον, te-<sup>ju</sup>n. Italis certe Venenum dicitur Veleno voce convenienti cum Græco Βελένιον cui ex eo nomen quod esset Ἰός τῶν Βελῶν; nam Persæ sagittarum cuspides Veneno inbuebant, ut est apud Aristotelem, in lib: de plantis.

§. III. Vox ipsa (ut ad homonomiam abeam) sumitur interdum pro colore, for-  
tasse quia ut Venenum omne exitium adferat  
& colorem pristinum mutat, ita succi il-  
li pretiosi, veluti purpuræ, lanas verius cor-  
rumpt, quam ornent. Maro quoque eas  
mentiri colores ait. Vel potius Græcorum  
hoc factum exemplo, quibus Φάρμακον su-  
mitur ἀνθετή βάμψαι, Quomodo Maro  
dixit in Eclog: Alba nec Assyrio fucatur  
lana Veneno. Ubi Venenum pro colore po-  
ni monet Servius. Et Solinus simpliciter coc-  
ci Venenum dixit, id est Φάρμακον βάμψαι

*χεῶμα.* Sæpiissime vero, ut etiam heic loci, in malam partem sumitur, ut medicamentum in bonam. Unde Cicero in Cluen: *constitutum inter eos de alia refuisse ut medicamentum non Venenum Diogenes adferret.* Medicamenti tamen voce pro Veneno usus est Varro sat; *ωδὶ ἐξαγωγῆς.* Quærit ibidem ab Anibale *cur biberit medicamentum? quia Romanis, inquit, me Prusiades tradere volebat.* Ast, Venenum pro medicamento hominis bono non dicitur. Scio tamen Caju[m] ad leg: XII. Tabb: scribere adpellatione Veneni, qvod Græci Φάρμακον dicunt, medicamentum bonum pariter ac malum contineri, atque id probatum ire isthoc Homericō Odyss: δ. de herbis in Ægypto crescentibus Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐθλὰ μεμιγένα, πολλὰ δὲ λυγεῖ. Sed non si Φάρμακον vox media est, similiter, venenum erit. Ideo Glossæ Philox: *Venenum Φάρμακον θεάσιμον.* Nec obstat qvod etiam dicatur malum Venenum ut apud Solinum cap. XLIV. de' Anibale *Veneni mali poculo animam expulit;* Nam veteres omnes resnoxias Mali epitheto infamabant, Qvare magis ad rem faceret, si ostenderent hominis ratione bonum venenum

nuspiam legi, et si & bonum esse Veneni usum non ignorem; sed ex eo vocem esse medium non conseqvitur; quia tum Venenum est ratione non hominis, sed alterius, cuius vim delet, ut Venenum sit veneni Venenum. Non raro generatim etiam pro labe & peste sumitur. Sed non his immorabitur, tempus effluit.

§. IV. Notatis sic pro re nata quæ in ὀνοματολογίᾳ scitu præprimis sunt necessaria, cæpta pertexenda restat tela atque περιγματολογίᾳ siveres ipsa adeunda. Sunt autem venena (uti illa definit Etymul: in de parvis mag: morborum initii pag: 220) corpuscula subtilissima salina plus minus volatilia, in propria specie incontaminata, aliorum tamen corporum respectu ut plurimum acerria, hinc ubi ab his suscepta in minima etiam quantitate tantas in horum succis aegrotato genere nervoso alterationes inducentia ut gravissima inde Symptomata, vel necem ipsam inferant. Jam cum hæc omnia probanda ad amissim sint, faxo ne qvid hic desiderare possit mens veritatis avida. Nitatur vero partim doctissimorum virorum testimoniis in præsens, partim etiam ad ocularem demonstrationem recurrat. Ac primo

qvi-

qvidem, Subtilissima qvod snt corpora oppidò pacet; non enim crassum illud antimonii E. g. corpus ut oculis subjicitur, veneni qvod in eo latet formalitatem constituit, sed longe subtillius qvid in eo reconditum. Testantur hoc infusa antimonialia corpusculis nullo sensu palpabilibus inprægnata, iisque tam paucis ac subtilibus, ut licet vel centies unum idemque frustum vitri antimonialis novo semper vino infuderis, vix tantillum ponderis, nihilque respectu molis externæ, ei decessisse animadversurus sis, particulis tamen qvibusdam vinum ab eo fuisse inprægnatum, vomitus à singulis infusionis partibus excitati docent. Ex istu subtilissimi in scorpione aculei & acutissimi in viperæ dentis ( non enim aculeo pungunt viperæ, pro ut vulgus sibi imaginatur sed habent dentes acutissimos qvibus mordent, dentes vero illi juxta Zwelferum in masculis duo sunt, in fœminis vero quatror ) vix vestigium læsionis, ne dum particulas venenosas mediante ejus liquore aut saliva communicatas videare potes: subesse tamen tales & non sola acutie instrumenti lædantis damna inferri subodoratus est jam Gallenus 3. de: loc: affect: 67. Ubi Scorpij aculeum non agnoscit sufficien- tem, sed substantiam qvandam insuper vel spi- ritu-

rituosam, vel humidam subesse suspicatur quæ ut mole minima, ita facultate quam maxima sit. Quid & persuadant hoc ponderosæ illæ rationes quas excellent: Dom. D. Ettmuller in diss: de vipera habet. Scil. (1) quod diversæ maculæ varii coloris mox insequuntur non nisi à principio materiali aliquo communicato, ac Sangvinem dictis in locis corrupte oriundæ (2) quod contrahentia in principio statim adhibita, juvent. (3) quod in partibus carnosis ex morsu tali læsis similia nihilominus Symptomata sequuntur, hincque adparet non ob læsam saltem partem nerveam gravia hæc Symptomata h. L: contingere (4) quod dentes non æque acuti animalium quoque alias non venenorum in statu iracundæ lethalem æque tragædiam excitent.

§. V. Quæ alterum, salinæ quod sint particulæ venenosæ, in primis quæ ex minerali & vegetabili regno depromtæ acrimonia eorum demonstrat, utpote solis salibus propria. De hac autem in ipsis præsente, varia testantur, ac primo ipsæ venenorum species, quæ acridine manifesta in sensum incurruunt, ut mercurius subl: purgantia fortiora, helleborus, euphorbium &c. quorum ve-

nenositatem in sale vol: acri consistere, Pechlin: tr: de Purgantibus egregiè ostendit, atque insuper ex eorum sapore caustico patet. Et quamvis arsenicum, aliaque nonnulla, ob intimorem veneni ejus inclusionem ad gustum videatur dulce, ventriculo tamen immisum rosione acrimoniam, quæ latebat prius, satis manifestat. Secundo quod cuncta vegetabilium & mineralium venena per temperantia corrigantr & mitificantur. Sic Mercurius Subl: si addito novo mercurio vivo Sublimetur, evadit dulcis, & innoxie sub debita dosi & circumspectione adhibetur. Et unversaleq[ue]si venenorū ore haustorū temperativum atque correctivum præstat, lac, butyrum, oleum, amygd: dul: omniaque pingvia ac diluentia quoque, ut aqua simplex copiosè hausta, dum diluendo hæc acrimoniam simul valdè infringunt. Sic exemplum hic loci cognitum habeo cujusdam, qui ex errore aquam fortem bibens, haustâ mox desuper copiosè aquâ simplici, ab omni noxa immunis reddebatur. De muribus res nota est, si arsenicum comederint, modo aquam desuper bibant, eos evadere. Accedit & illud, qvod omnis veneni actio atque operatio in eo consistat, quod vel vi sua alterati-

ya humores corporis, præ primis vero sanguinem præternaturalis fermentationis jura subire cogat, vel figura sui acutissima irritare nervos, ac consequenter Spirituum animantium cursum vitiare possit ( ita enim naturales ac corpori nostro proprii comparati sunt habitus, ut quamdiu in statu ipsis à natura adsignato inperturbati relinquentur, tamdiu Spiritus ordinariè omnia in corpore exsequantur, simulae vero iidem aliqualiter transformantur, depravatè juxta eos ut agant spiritus, necesse est ) turgescentia vero talis humorum sequitur in genere nimiam materiæ occasionalis acrimoniam; Sive enim ex auctâ effervescentiâ contentorum, sive irritatione partium continentium, & hanc in sequente concitatori motu locali contentorum P: n: sive ex utroque derives turgescentiam & agitationem istam humorum, sane ubique principale peccans erit acrimonia nimia. Scilicet non moventur suopte impetu contenta fluida, sed per meatus canalesque consuetos, seu organa, fibrarum eorundem ministerio & Spirituum moventium potentia, tam naturaliter quam præternaturaliter feruntur. Utrobiisque presupponitur stimulus, qui sub humorum orgasmo est in ipsis contentis, quæ potentiarum

Hippocraticarum beneficio cum saltem acti-  
væ existant, intemperatura eorum, cuius ra-  
tione nos lædunt, nihil aliud erit, quam a-  
crimonia nimia. Pressus ut loqvar, fermentum  
acidum volatile acrius, sive intus ex ad-  
sumtis genitum, sive extrinsecus inspicatum,  
vel aliunde contagii nomine suscepimus, ori-  
go est orgasmi cuiusvis humorum p: n: hoc  
n. aut texturam Sangvinis sive crasin tem-  
peratam pervertendo, aut chylum & lym-  
pham exasperando, aut bilem vitiosè acu-  
endo, aut Spiritus influos inquinando, pri-  
mo motus horum intestinos tam absolutè  
quam respectivè tales ( in relatione nempe  
fluidi unius ad alterum, eorumque mutuæ  
miscelæ ) p: n: vitiat, & in turgescientiam  
ac commotionem, effervescentiæ plus minus  
similem concitat, hinc tam acrimoniae, quam  
turgescentiæ humorum respectu partes con-  
tinentes irritat, qua occasione, Spiritus im-  
petum faciens fibrarum ministerio contenta  
diversimodè ac inordinate, subinde tumultu-  
tuosè admodum agitat, & impellit per vasa  
naturalia, unde tot in corpore turbæ, tot  
læsiones atque transformationes, quas læsi-  
ones communiter a qualitate quadam ma-  
ligna & toto genere deleteria oriri ajunt.

Con-

Contra quos nunc disputare non volo. Id tamen dico me nequaquam intelligere quid illa qualitas sit, quod enim occultum est; illud est ignoratum, de ignoto vero Physicus disputare nec debet nec potest. Ast, nemini tacuisse nocet.

§. VI. Acrimonia a: hæc duplex est, acida aut alcalina. In vegetabilibus. Venenosis consistit illa in Sale volatili acri alcalino, qvod aliquo modo patet ex eorum per acida castratione aut correctione, qvæ tamen per alcalia fixa quoque procedit, quantum hæc volatilitatem eorum tollunt, non tamen prorsus omni vi, quemadmodum acida ratione essentialis contrarietas, ut plurimum faciunt, ea spoliant. Mineralium Venena in acrimonia acido alcalina ac volatili consistere videntur: qvod vel exemplo antimonii patet, cuius neqve substantia acida sulphurea solitariè E. g. sulphur vitidescens ex antimonio per aq; Reg: soluto separatum, ad  $\text{O}_2$ , innoxie juxta Tachenium propinatum; neqve ejus pars alcalina Mercurialis sola, per acida v: g: in bezoardicis fixata, sed ambæ saltem combinatae catharticæ sunt. Particulam limitativam, ut plurimum acerrima, addidi, eò qvod exceptio veni-

veniat facienda de animaliū venenis, utpote qvæ non tam in acrimonia, quam motu spirituum affectu iræ impetuosis intenso speciebus intentionalibus (qvas Medici dicunt *ideas seminales*) frequenter determinato fundata sunt, utpote qvæ ambo ut plurimum intime conjunctæ vim suam corpori nostro hostilem, exerunt. Exerere a. hanc ipsam videntur peregrinæ illæ species dum fermentatæ cum particulis sanguineis & spirituosis subjecti recipientis & magis sic evolutæ, extensæ, ac multiplicatæ semper sanguinem cum spiritibus transfluentem in loco, ubi istæ hærent, idea sua, vel etiam juxta Helmontium) peregrina vitæ mediæ indole, qvæ in sapore aut odore consistit viciose, sigillant, ac motu suo ipsis proprio spiritus nostros in consortium quasi trahunt. Hinc morbos pariter ac mores ab animalibus rabidis mutuantur læsi. A cane rabido demorsus homo latrat, ringtonitur, immo eadem cum canibus sagacitate nonnunquam datur, ita ut amicos è longinquò accedentes, licet eos non videret, solo odore effluviorum, quæ continuo corpora emittunt, cum aëre ipsi adductorum exactè qvidam discerneret & adstantibus hunc vel illum amicum appropinquare prænunciaret, qvemadmodum obser-

observavit Borellus Cent: 3. obs: 68. & alii.  
 Videlicet se quidam testantur in saliva canum  
 rabidorum & urina ab his demorsorum se-  
 mina seu ideas parvos catulos, qui revera se  
 moverent, repræsentantes, quæ sane admo-  
 dum confirmarent, per idearum hujuscemo-  
 di communicationem tales affectus concita-  
 ri in demorsis; quoniam tamen hæc nonnullis,  
 v. g. Aromatario diss: de rab: cont: du-  
 bia adhuc & imaginationis saltē inlusio-  
 nes videntur donec ulteriore experientia  
 hæc innotescant, in medio ea relinquo. Id  
 interim adnoto, veritatem hujus rei non  
 parum confirmare illam observationem, quam  
 habet Salmutius. c. obs: 83. de muliere cuius  
 simbriam togæ canis rabidus momorderat,  
 nascentibus deinde in loco ambensionis ver-  
 miculis, similitudinè capitis ad canes proxi-  
 mè accendentibus. Horum vero quicquid sit,  
 id sanè certum est, effectus ejusmodi, Brutis  
 vi ideoyncrasiae seminalis ac specificæ, tan-  
 tum proprios, in homine postquam à bru-  
 to tali Iæsus, ordinatio sese exhibentes, non  
 nisi ex simili causa seminali, proprietate spe-  
 cificè juxta naturam bruti istius agendi, in-  
 structâ & intra corpus humanum, recepta,  
 produci posse. Ex eadem etiam causa fa-

ctum

ētum, qvod Puella Uratislaviensis, de qua  
Bekerus in microcosmo Med: refert, ex po-  
tu sangvinis felini pro epilepsia tollenda  
hausto, felinos mores & naturam contraxe-  
rit, ita ut sub paroxysmo feles, voce, saltu,  
gestu, imitaretur, mures in silentio venare-  
tur, latibulisqve horum avida adstaret. Pa-  
xi ratione ac alias notum est, ex eadem  
causa infantes nutricum mores imitari, qvod  
eo magis confirmatur per exemplum infan-  
tis à capra nutriti & exinde caprinos saltus  
atqve mores æmulantis; cuius meminit ex-  
cell: D. D. Ettmul: in de morsu viperæ.

§. VII. Hinc tanquam ex suo fonte di-  
manare videtur nullum animal per se esse  
Venenosum, fieri autem tale per accidens,  
dum abreptum in petuosis animæ passio-  
nibus, frendens ira vindictæquæ anhelans,  
per effervescentem salivam, vel simile quid,  
statum iræ conceptum, per mortuum commu-  
nicat, & ita Venenat. sic etiam homo ipse  
ubi ira vehemens eundem armavit in perniciem,  
periculosum & nonnunquam lethale morden-  
do infligit vulnus, cuius rei insigne nobis  
ministrat exemplum mulier illa maniaca cuius  
mentionem facit s̄epe laudatus Ettmul pag: 323.  
in de Mors; vip: qvæ lictorem in custodiam  
sc

se abducentem, mordendo prope axillas, in similem conjecit calamitatem, ut postero die similiter ac ipsa fureret, muliere meliuscule sese habente. Simile etiam habet exemplum Hild. Cent. I. obs. 84. Ubi dicit ex mortu levii hominis in digito gangrenam in brachio ad cubitum usque ortam esse; Immo sanguinem hominis rufi venenatum perhibent, si ira exacerbato detractus fuerit auctore Marco Mar: pag, 433. Sicut Zaceutus Lucitan: lib: III. prax: adm: obs: 82. refert, ex potu sanguinis hominis rufi, per venæctionem sine affectibus gravioribus emissi perpetuam securam fatuitatem. Si ira fuisset percitus, vel alia vehementiori passione, alia certè secura fuissent symptomata.

§. IX. Verum enim vero, licet hæc adeo vera sint, ut nemo, cui mens sana in corpore est sano, inficias ire possit, haud parum tamen mirari subit veteres non modo, verum etiam Modernos quamplurimos, quos vera animalium Veneni cognitio latet, aliquas viperarum partes venenatas, quasdam vero salutiferas esse firmiter adscerere; Qvippe si vipersa integra in vino extincta leprosos restituivit ( quod testatur Galenus & Quercetanus ) nec non si foeminæ quædam nobiliores

anglicæ teste Zwelfero pag: 211. Phar: Aug:  
 de vino tali viperino quasi interno cosmeti-  
 co ad pulchritudinem corporis vultusqve &  
 universæ cutis formositatem comparandam,  
 absqve ullo damno ac sanitatis detrimento,  
 bibunt, corruit omnino adsertio partium vi-  
 perarum venenatarum, *felli* scilicet *cauda* &  
*eupitis* ( istæ n: sunt qvæ communiter pro ve-  
 nenatis habentur ) uti nec ipse Zwel. in il-  
 lis Venenositatem aliquam deprehendere po-  
 tut, utut multa millia ( ut ipse citato loco  
 restatur ) viperarum mactaverit, & abscissa  
 capita, vesiculos felleas, & caudas eorundem,  
 alia carne involutas Felibus & canibus devo-  
 randas objecerit; qvæ etiam absqve ullo vi-  
 tæ descrimine, vel noxa aliqua, consumere,  
 nec vel tantillum damni, qva corporis in-  
 columitatem, inde passi sunt. Qvod a. hu-  
 jus vel istius animalis morsus, morsu alterius  
 perniciosior, magisqve lethalis sit, hujus cau-  
 sam, cum in iracundia magis vel minus  
 intensa, tum etiam in acumine dentium, si-  
 ve cuspidi eorundem acutissima sitam esse,  
 plane mihi persuadeo; Nam si dentes illos fal-  
 catos viperis E. g. eruas deinde morsus en-  
 rum non æque exitialis existit. Accedit etiam  
 patientis aliis atqve alias status atqve conditio;

&amp;c.

erentim si meticulosus est & pavidus, Venenuni ex mortu receptum multum exaggerare, & diffusioni in totum corpus portas patentes aperire potest, contrarium sit si animosus & intrepidus; plane simili modo ac in peste fieri affolet, ubi timidi in majori versantur periculo quam qui impavido animo gaudent. Hæc & multa ejusmodi Ettmuller ac passim quidem plurima de se hac: sed non nunc omnia.

§. X. Volatilitatem particularum Venenosarum arguit earum partim effectus ut plurimum maximè subitaneus, partim correctione earum per fixiora subjecta. In propria specie intontaminatas eisdem dixi, hoc est respectu corporis cui propriè insunt, naturaliter se habentes & minimè corruptas, ad differentiam contagii, quod simili fere principio gaudet, sed in se præternaturaliter jam constituto & quasi putrido; Quippe ortum ducunt ex miasmate Veneno, ab aere primum suscepto & hinc per contagium propagato quod occultè & latenter hominem adgrediens vel eandem vel consimilem dispositionem ejus corporis, unde prodiit, ipsi inprimis, ita ut effluvium illud cuius Tulpianus l: 4. obs: 3 meminit non minus quatenus

ipsius Tulpī fauces erodebat, qvam quatenus  
 famulæ continenter Dominæ morbosæ ope-  
 ram dantis pectus cancerosa pariter exulce-  
 ratione inficiebat, contagium dici debeat.  
 Miasma illud summe subtile est adeoqve ad-  
 modum activum, adeo ut qvaqva versus dif-  
 fusum, virulentiam suam exerat, unde à qvi-  
 busdam spiritus pestilentialis, ab aliis aura ve-  
 nenata, ab Helmontio Gas fracidum in aere  
 dicitur, Gas tanquam spiritus incorporalis,  
 nullo sensu proprie cognoscibile, simile cœco  
 hæsi odori qvo mediante canes heros suos a-  
 gnoscerent solent. Qvod ad causas contagio-  
 rum atqve adeo ipsius pestis remotas adtinet  
 sunt hæ ipsæ variæ, præ cæteris terræmotus,  
 considerandi, cum passim exempla proferant.  
 Non immerito tunc causa rejicitur in efflu-  
 via mineralia volatilia, mercurialia, qvorum  
 halitu toties jugulantur metalli fossores. Ut  
 nihil hic dicam de victus erratis; nihil no-  
 tius est qvam pestem famem seqvi ( qvod ta-  
 men nunc DEUS in secula benedictus cle-  
 menter avertat ) item esus alimentorum, præ-  
 servim carnium absqve salis condimento: nec  
 non esus carnium ægrotantium, qvin & pos-  
 tus aquarum putridarum fœcundæ matres  
 morborum speciatim febrium malignarum  
 epide-

epidemicarum esse solent. Pertinet etiam **huc** hominum strages in bellis, ex qvorum cädaveribus putredine resolutis miasmata putrida qvasi exsurgunt aetemque hoc modo inquinant, qvæ inspirata cum eo simul intra **corpus** animale p: n: hoc E. g. peste adficiunt, cutnqve ab animalibus ac ipso homine sic inquinatis similia semper effluvia morbosa per os etiam exhalant, facile postmodum ab aliis qvoque vicinis simili modo suscipiuntur, aut corpori horum adfricantur, quod ipsum si in crassi seminali cum priori animali, ex qvo contagium hoc morbosum manavit, consipret, simili inde modo adficitur. Unde inter certa animalium genera, & consanguineos nonnunquam effectum solummodo sortitur; cum hi in idea seminali ut plurimum convenient; hanc namque particulis succi nutritii, qvi omnes partes permeat & tandem in semen colligitur impressam cuncta generantium individua postqvam definitam figuræ corporis sui extensionem adsecuta, in circulum qvasi redeundo, posteris suis sub specie seminis communicant sique perpetuo propagant atque conservant, ita ut parentes ac in pri, mis matres, nævos, excrescentias, aliosque varios morbos ratione idearum à singulis

partibus seminali materiæ præterfluenti communicatarum in liberos propagent. Sed satis de hisce.

§. XI. Dixi supra Venena vim suam corporibus lethalem inferre quatenus acrimoniam sua intensissima & simul summe volacili vel fluidorum texturam insigniter immutare, vel solidorum sensibilitatem singulariter irritare possunt, unde non in merito quæri possit utrum magis *Spiritus vitalis* cum massa sanguinea vitiatur, an vero  $\beta$ : *animalis* & *genus nervosum*? Existimo ego ( quantum lubricitas fert' mei ingenii ) spiritus animales cum genere nervoso primarias hac in re partes obtainere. Idque vel inde probari posse autumo, quod hic, ut etiam alii morbi, cum molesta quadam sensatione conjunctus sit, sensatio autem à spiritibus animalibus primariò sit; manus enim spiritu absente non sentit. Persuaderet etiam hoc, ut alia taceam, *imaginatio*, quæ non nisi spirituum animalium ministerio peragitur, & tamen efficacissime Venenorū promovet receptionem. Per *imaginationem* illas intellico ideas, quæ præter ideæ materialis ( de qua supra ) peregrinæ intra corpus nostrum receptionem, per solam *imaginationem*, occasi-

casione objecti externi fortius commotam  
 & fabricante Spiritu nostro formantur. Qvan-  
 ta hujus imaginationis sit vis atque effica-  
 cia, vel unicum illud ostendit exemplum,  
 qvod Zwel: p: 273 de viro qvodam refert,  
 qvi serpentem pro angvilla comedit; nihil  
 mali inde perpessus, sed cum cognovisset  
 postmodum fuisse viperam exphantasia in mor-  
 bum inlapsus, obiit. Præterea novimus e-  
 tiam spiritus una cum sanguine per firmior-  
 em & inconsuetam magis imaginationem hac  
 ratione fortiori & magis peregrinô determinis-  
 natô tamen morû, fœtui molliusculo ad-  
 pulsos, varias figuræ ejdem intra uterum  
 adhuc hospitanti adfricare. Sic legimus in  
 Marco Mar: gravidam à pomo, quod depe-  
 ribat, prohibitam, enixam esse fœtum, è cu-  
 jus mala pomum proprio petiolo adhærens,  
 pendebat. Bekius adhuc majoris momenti  
 mentionem facit historiæ de uterum qvadam  
 gerente, qvæ cum Æthiopem ex inopinato  
 accedentem exhorresceret insigniter, in animi  
 deliquium lapsa: cum metueret fœtus nigredi-  
 nem, adstantium unus ( qui probe cognitum  
 habebat, ideas hujusmodi de subito & ex  
 terore conceptas, superveniente alia idea  
 contraria iterum deleri ) svasit ut statim le-

varetur fœmina & secura redderetur, nullum post lotionem nigrorem in fœtu amplius observatum iri. Factum hoc & ecce! tandem peperit fœtum candidum, nigrorem vero sibi severa fuisse impressum ostendentem, dum in locis ad quæ manus lavantis non pertigerat scil: in interstitiis digitorum tam in manibus quam pedibus nigredinis vestigia adhuc retinuerat. Porro per experientiam constat ex frequentiore & firmiore pulchrarum imaginum aut infantum aspectu firmius in phantasia radicato, conceptam pulchritudinem gravidas in fœtum derivare: quod idem ex adverso ex turpiter conformatis, labiis leporinis &c. subito conspectis & firmius animo retentis, iisdem contingit. Vides ergo Lector erudite quam potens sit imaginatio ad varia in corpore Symptomata excitanda.

§. XII. Ast, non sufficit fortassis sciendi avido demonstrasse & omni desideratus procul omni dubio est is insuper τὸ πῶς. Fateor hunc majus mihi facessere negotium. Sed dico, ut breviter agam, hujus imaginationis vim ex conjunctione animæ cum corpore unicè dependere, cuius lex est ut certam ideam in mente, sequatur certus in corpore motus & verba vice, sicuti  
hæc

hæc omnia eruditæ dilucidat Aristoteles in suis physiognomicis Cap. 1. & 4. ubi ille ita: δοκεῖ δὲ μοι ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα συμπαθεῖν ἀλλήλοις καὶ τῆς ψυχῆς ἔξις ἀλλοιώμενη οὐν- αλλοῖς τῇ γάρ σώματος μορφῇ, πάλιν τε ἡ τὸ σῶματος μορφὴ ἀλλοιώμενη οὐναλλοῖς τῇ τῆς ψυχῆς ἔξι. Ecquid vero? omnes ne functiones corporis dependent a mente & vice versa mentis à corpore? Non. sed πλέιστος καὶ καλλίστος κινήσεις ἔχει σῶ- μα τὸ ψυχῆς, καθάπερ δὲ ἡ ψυχὴ τὰ μὲν ὑφεσταύτης κινωμένη προάγει κ. τ. λ. γίγνεται ἀν πάλιν τὸ σῶμα πολλὰς μέν ἐξ αὐτῆς κινήσεις ἔχει. Plut: in conv. 7. cap. pag: 163. Sed hæc ulterius perseqvi vetat instituti ratio.

Minima fateor, de minimis, quæ propo-  
sueram adtuli, sufficienter siquidem de sin-  
gulis acturo, non aliter ac maximi ex iis effe-  
ctus, ita & maxima speciminis hujus limites  
tantilli exercitii longe excedens, & in inte-  
grum tractatum diffusa excresceret moles. Con-  
donabis igitur L. B. si minus ab omni par-  
te curiositati tuæ vel ne stylo quidem lima-  
tiori satisfecit. De cætero admiraberis me-  
cum Divinum numen in minimis maxi-  
mum ac admirandum,

CUI SIT SOLI GLORIA.

## COROLLARIA.

I. Datur in rerum natura Basiliscus, erubesculentissima, omniumque animalium nocentissima bestia ac pestis.

II. Falsus & fabulosus est ortus ille Basilisci, quo eum ex ovo Galli gallinacei senioris & novennis oriri, & incubo Bufone excludi, vulgo statuunt.

III. Falsum etiam ac fabulosum est Basiliscum solo adspexit sive hominem sive ullum aliud animal, quod prior ipse confexit interficere posse; visio n: sit non per radiorum emissionem, sed per specierum sensibilium receptionem.

IV. Omnia aranearum atrocissimi sunt Veneni Tarantulae in calidioribus & planioribus Apuliae locis præprimis stabulantes.

V. Mirabile in primis est, reliquo anni tempore, perniciosa minime aut exitiale tarantulam esse, immo, vix nervorum aliquid aut virium obtinere, ad incommodandum. Sole autem suum redintegrante & stum, tam virulento pestiferæ esse mortu, ut quemcunq; ferali mortu sauciarit, nisi celeri succurratur remedio, necesse sit vel mori protinus, vel si fortior natura, vite evaserit periculum, miserabilem restringat hominem.

